AMPLISSIMO ET NOBI-

LI VIRO, D. GASPARI A NYDBRVCK, I. C.

illuſtri, fortiſsimorum regum Ferdinandi Romano-
rum & Maximiliani Bohemiæ conſiliario,

Conradus Geſnerus Tigurinus

S. D. P.

PRIMVM BONVM ET PRIMVM IN HAC MVNDI machina gradum eſſe dixerim, quòd res una quæq; eſt atq; extat. Nam cum Deus opt. max. omnia cõdidiſſet, omnia ſanè bona erant, utpote ab optimo authore ac opifice profecta. Verum hæc uniuerſa quæ in hoc mũdo ſenſibili extant, cum homini ſeruiant, hominem & ratione prædituũ, & ad Dei imaginem eſſe factum, eamq; peccatis noſtris corruptam, per gratiam & iuſtitiam filij Dei in nobis reſtitui, ſummum omnino ac propè ineffabile bonum eſt, quo neq; cogitari quicquã neq; optari à nobis maius poteſt. Hæc quidem ſunt extrema, hoc eſt ſummum & infimum in genere bonorum quæ in hominem cadunt. Immenſa uerò Dei benignitas multa etiam alia & media bona multis hominibus adiecit, non ut per ea ad faſtum & inſolentiam excitarentur, ſed ut alijs, tanquam negotiatores aut diſpenſatores quidam, prodeſſent eò amplius. Eſt autem inter cætera magnum profectò hominis ornamentum nobilitas: hoc eſt parentibus ac maioribus fortuna & uirtute longo tempore claris eſſe prognatum. Non ignoro prouerbium, quo Heroum filios eſſe noxas iactatur: quod forſitan inde exortum eſt, quoniam diuitiæ, otiũ & indulgentia, quibus locupletum filij abundant, luxum aliaq; mala progenerant, niſi bona educatio prohibeat. Atqui hoc non ſolum de nobilium filijs, ſed rectius in uniuerſum ab Homero ingeniorum fonte pronunciatur: ὁι πλέονδε κακοὶ, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. Plerunq; certe fieri uidemus ut parentum ſimiles procreentur liberi: tum quia ab eis educantur, amantur, & amant uiciſsim, (nihil uerò tam unit & aſsimilat quàm amor,) et à teneris illorum exempla ob oculos habent, unde conſuetudo in naturam abit: tum quia in ipſo ſeminio naturæ quædam ſimilitudo ineſt. Abſurdè quidam ſophiſtæ (ut ſcribit Plutarchus in libro pro nobilitate) contrà quàm in cæteris animantibus & ſtirpibus etiam obſeruatum eſt, homini nihil ad futuram ſucceſsionem generis nobilitatem conferre putãt: ſed tantundem ualere ſiue barbaram ſiue Græcam originem. neq; credunt latentia quædam principia & ſemina uirtutis in generatione liberis communicari, ut Telemacho Vlyſsis, de quo Homerus clariſsimo uocabulo utens dixit, Ἐνέσσεται μυθῷ σῷ: Inſtillata patris uirtus tibi: tanquam ad paucas ſeminis guttas paternæ uirtutis bona confluere aſſerens. Quòd ſi etiam nihil ſeminum natura conferret, animus tamen quo quiſq; originem ſuam æſti

*. 2

De gradibus bonorum.

Nobilitas hominis, & in ea gradus alij quot.